

V
14 9
13

Q. 215 (418)

Vg
1413

REFVTATIO

VANISSIMI ADIAPHORIS- tarum Commenti de LOGO, Ver- bo, per Matthiam Flacium Illyricum.

IEREMIAE XVIII.

Adeste cogitabimus contra eum cogitationes, quoniam non peribit Lex à Sacerdote, & consilium à Sapiente, & uerbum à Propheta: adeste, feriemus eum lingua, nec attendemus omnes sermones suos. Attende ad me Domine, & audi vocem aduersariorum meorum. Num redditur pro bono malum &c?

Summū Dei beneficiū, post Filij donationem, est, quod nos de peccato arguit, & ex errorū tenebris Verbi sui luce extrahit. Nec Christianus Christiano ullum aliud maius, tali admonitione, bonum præstare potest. Sed homo, partim innata malicia ac superbia, partim etiam diabolico furore inflammatus, deq; sua sapientia inflatus ac securus, manifestas Dei admonitiones & uerbum contemnit, oppressionemq; se arguentium per uim & mendacium (quale hoc præsens est) furenter machinatur. Hæc summa Adia-
phoristarum erga Deum & Fratres monentes nunc GRATI-

TVDIO est: Sed tu o Domine miserere periclitantis Ecclesiæ, ueritatis, & confitentium eam contra corruptelas Amen.

IEENAE M. D. LVIII.





Parferunt Adíaphoristæ quam latissimè
Scriptis & nunc impressis literis teterrimum de
me rumorem, quod Christi Diuinitatem negem.
Quod Commentum undenam et qua occasione
illi extruxerint, ordine, breuiter, ac uere indica-
bo, ne quis suspicetur illud: $\Phi\eta\mu\eta\delta\ \acute{\omicron}\nu\tau\iota\sigma\ \pi\acute{\alpha}\mu\omega\alpha\rho\ \acute{\alpha}\pi\acute{\omicron}\lambda\lambda\upsilon\tau\alpha\iota$,
 $\acute{\eta}\nu\tau\iota\nu\alpha\ \pi\omicron\lambda\lambda\omicron\iota\ \Delta\alpha\omicron\iota\ \Phi\eta\mu\iota\zeta\omicron\sigma\iota$. Nec enim sum ut isti Lu-
cifuga.

In graui ac Ecclesiæ Dei necessario certamine contra
Schuenckfeldium solus plures iam annos laborans ac su-
dans, obuía habui multa, eaq; non leuía dubía, quæ cum u-
beriori explicatione indigerent, necesse habui plures do-
ctos piosq; fratres consulere.

Quoniam autem æstate priori Philippus, præter ali-
os, etiam duobus quibusdam Doctoribus dixerat, se cupe-
re mecum de multis ac magnis rebus conferre, credens ego
id ab eo uerè candideq; dici, putauí me non perperam fa-
cturum, si & ipsi aliquas quæstiones proponerem, quarum
explicatio ad publicum bonum contraq; communem ue-
ritatis hostem tenderet: sperans insuper, illud meum tam
amicum conferendi studium animum eius ad imminentem
tunc Saxoniam Pacificationem leniturum.

Quare egi cum Vuernero comitis Barbiensis Con-
cionatore, qui Philip. semper intimus fuit (cum ille ultro
indicaret, se comitis sui gratia breui Torgam versus esse
profecturum, ac in eundo atq; redeundo Philip. compella-
turum) ut ille ei hasce tres quæstiones, meo nomine, coram,
priuatim, amanter, ac conferendi tantum gratia sua uoce
proponeret.

PRIMUM, Vbi in sacris literis hæ duæ uoces,
VERBUM DEI, Filium Dei, & ubi externam atq;
à Deo patefactã doctrinã significarent. Schuenckfeldium
enim ubiq; Filium, me contra in paucis locis Filium, in
plexiq;

plerisque doctrinam intelligere. Primi capituli Ioannis nulla penitus mentio facta est: Quia ibi non sunt istae duae uoces simul positae, VERBUM DEI, sed tantum unica, VERBUM. Quod ad ueritatis in hac re inquisitionem diligenter obseruandum est. Nec mihi ullum unquam dubium fuit, quin ibi secunda Diuinitatis persona proprie describeretur. Quod non tantum mea, sed & Schuenckfeldij Scripta de me testantur.

SECUNDA quaestio fuit generatio filij per cogitationem.

TERtia, illa definitio Euangelij, quod sit praedicatio Poenitentiae, quam esse impropiam ipsemet anno 1548. publice, in Disputatione Isineri, me contra opponente, confessus est.

Recepit Vuernerus se omnia bona fide curaturum.

Eas igitur quaestiones, paulo ante Natiuitatem Domini, anno 1556. Philippo, non uoce coram, ut conuenerat, sed per literas proposuit. Quibus acceptis, mox coepit ille eas omnibus ostentare, & latissime rumorem spargere, me negare primum caput Ioannis, negare ibi λόγος, VERBUM, significare Filium Dei: Negare denique ipsam Christi Diuinitatem. Nec tamen Vuenero statim quicquam respondit.

Delato per certum hominem ad me eo tam tristi rumore, grauius sum perculsus, non tantum ob meam ignominiam, sed etiam propter scandalum pusillorum Iesu Christi, nouique certaminis periculum. Et denique, quia liquido inde animaduerti, nullam plane illorum poenitentiae, abolitionis errorum, & pia pacis salutarem spem superesse.

Quamobrem protinus misso nuncio Vuittebergam, curauit ibi publice duas Schedas, subscripto meo nomine, affigi, quibus, nullo nominato aut laeso, grauissime protestatus sum, falsissima esse, quae de me illic a quibusdam spargi intelligerem. Alteram ex illis Phi, proprijs manibus, in

A ij

Collegio,

Collegio, inspectantibus multis refixit & perlegit. Idem feci clarius literis ad quendam lectorem scriptis ac sparsis.

Misi quoque statim alium ad Vuernerum, serio cum eo exoptulans, quod meam sententiam forsitan non recte Ph. exposuisset, iussitque, misso celeriter meis sumptibus proprio tabellario, illi rem clarius exponere monereque eum, ne ea mihi tribueret, quæ nunquam ne in mentem quidem mihi uenissent. Respondit Vuernerus, se non credere, quod tam tetra de me à Philip. spargantur aut fingantur. Verum se nihilominus scripturum, & serio eos monituum esse.

Excusauit me itaque diligenter Calend. Januarij anno 1557. ternis literis ad Phil. Eberum, & pædagogum suorum dominorum (ut ille mihi coram affirmauit) scriptis.

HISCE tot meis Protestationibus & Vueneri (quem solum tantæ criminationis testem allegauerat) meæ innocentiae assertionibus, non est permotus Phi nec à tam horribili scandaloque pusillorum Iesu Christi plenissima Tragedia destitit, sed tunc primum scripsit Epistolam (quæ nunc edita est) ueluti respondens Venero, quæ patheticè querulatur, ac tetræ me criminibus, grauique inuidia onerat, tacens Maiorismum & Lipsicum **INTERIM**, & fingens me aliquando precationem tres personas inuocantem, reprehendisse, cum ego tantum illam adulatoriam precatiunculam reprehenderim, qua, tempore persecutionis, nominatim pro foelici Persecutorum successu in templis orabant, ut eius ad me literæ testantur, eamque Epistolam mox opera Scholasticorum latissime per totam Germaniam euulgauit.

Quod uero post istas nostras protestationes & indicationes, eas literas Phil. scripserit atque euulgauerit apparet ex secunda Vueneri ad eum Epistola, in qua responsum ad priorem petit, ut alia indicia taceam.

Nec

Nec vero illa tantum Epistola, post tot meas protestationes & Vuerneri testimonia me infamauit, sed etiam tum uoce, tum Scriptis, cum apud multos alios Principes quoque uiros, tum & apud MediatoreS Saxonicos nec non Mechelburgenses, etiam post editam meam Confessionem, frustra utrisque me excusantibus: immo & concionibus Adiaph. ad uulgus Vuittebergæ & alibi eadem sua mendacia efflarunt & inflarunt.

EXPOSVI uere totum ordinem, quomodo, quaque occasione hunc tam tetrum rumorem Adiaphoristæ de me sparserint, & quam tenaciter etiamnum suo illi figmento, contra conscientiam, toties recte edocti, adhærent. Possim autem hanc totam narrationem partim Vuerneri literis, partim aliorum quoque fide dignissimorum uiuorum testimonijs euidenter probare. Ex Vuerneri literis quædam tantum nunc hic adijciam.

Ex Epist. Vuer. ad Phil. pro excusatione Illyr.
Iyr. 1. Ianua. 57.

Letum & faustum huius anni curriculum Ecclesiæ Christi, & tibi ab Emanuele nostro precor. Venerande & carissime Præceptor, Illyricus non sine stomacho ad me scripsit, conquerens, se in Schola uestra ab aliquibus tanquam semiarrianum proscindi & proclamari, idque mea culpa, quod non satis candidè ipsius sententiam tibi narrauerim, accidisse suspicatur. Quid istic factum sit ignoro &c. pergit excusare Illyricum.

**Epistola Vuer. ad Super. Sax. qui fuerunt
Cosuici MediatoreS, qua asserit innocentiam Illyrici.**

S. D. Clarissimi & doctissimi uiri, cum toties à me, quid M. Matthias Flacius Illyricus mecum περιπατήσας sit locutus, flagitetur, dico

A iij

& dicant

Et dicam ingenuè summam propositæ quæstionis fuisse, ubi uox λόγος
in sacris literis Filium Dei, et ubi doctrinam cœlestem significet. Occas
sionem eius Schuenckfeldij error, qui λόγος ubiq; Filium interpreta
tur, præbuit. Altera quæstio fuit, de æterna generatione Filij, quæ fit per
cogitationem patris intuentis sese, et quid hinc sequatur. Quod neget
λόγος personam Filij in primo capite 10. significare, non memini me ex
ipso audire. Hæc uera esse quæ dixi, charta, quam penes se habet, confira
mabit. Dominus noster IESVS Christus det requiem Ecclesiæ suæ et tol
lat scandala, quæ subinde Diabolus miris artibus ad deformandum mini
sterium Euangelij excitat. Bene et foeliciter ualete. Datæ Barbi ultimo
Ianuarii 1557.

HAC TAM multiplici iniusticia & Veritatis
lesione Adiaphoristæ nō contenti, nunc insuper edi
derunt Vuittebergæ easdem illas duas Epistolas cum atro
cissima Lucifugæ alicuius præfatione, ut scilicet hoc modo
me, totamq; Corruptelarum suarum oppugnationem te
tris mendacijs obruant & opprimant. Sic enim scilicet Re
ligio pura retinebitur, & Ecclesia Dei edificabitur, ubi Re
futatores errorum mendacijs euersi fuerint.

Scriptum est, ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo
damnaberis. Quod si id ulla in re aut causa fieri oporteat,
tum uero imprimis in causis Fidei. Corde enim creditur,
Ore autem fit confessio. Quæ igitur tandem non tam cæ
ca temeritas, quam extrema impudentia est, eos mihi erro
res tribuere, quos semper expresse damnaui, quorūq; con
trarium in omnibus meis editis Scriptis sæpissime docui
& doceo? Nam in omnibus ferme meis Scriptis Filij Dei
Diuinitatem sum testatus. Si me Adiaphoristæ damnare
uolunt, cur nō saltem ea mea Scripta inspiciunt, quæ Vuit
tebergæ edita sunt, ut est Libellus de uoce & re Fidei, Item
super tertium caput ad Rom. Item de nomine Iehoua &
IESV: in quibus Diuinitatem Christi sæpe confiteor?
Nam Samolatenianos & Seruetianos, quos mihi perpetuo
obijciunt,

obijciunt, ego anno 1556. ante hoc Mendacium, in præfatione Sulpitij Seueri, & Refutatione Missæ Fabri discrete damnaui.

Est uero obseruandum, quod ea ipsa Vuerneri edita Epistola (quam meam esse isti fingunt) Commentum hoc uanissimum clare refutet. Primum enim nihil in ea expresse contra Diuinitatem Filij asseritur. Deinde est unici hominis testimonium, cum in ore duorum aut trium &c. Tertio est dubium testimonium. Inquit enim: Si tamē recte intellexi Illyricum. Quanta ergo impudentia & crudelitas est, ex incerto testimonio certam damnationem extruere uelle? Quarto priuatim & amice, non publice ac hostiliter proponit. Quinto proponit conferendi & explicandi, non asserendi gratia. Sexto diserte tres diuinitatis personas, Patrem, Filium, & Spiritum S. inter se æquales confitetur. Ultimo expresse in illa Ep. Dominus noster IESVS Christus, tanquam uerus & uiuus Deus Ecclesię suę perpetuus Rector atq; defensor inuocatur.

Immo ex ista ipsa epist. ac amice de rebus dubijs conferendi studio, tum meum perpetuum piæ pacis studium, tum istorum superba impœnitentia clarissime elucescit. Inquit enim: Video posse fieri coniunctionem animorū &c. Quid ergo cum istis hominibus piè simul & amanter agi potest?

Ululat iste Lucifuga aut noctua in titulo & præfatione, Epistolam Vuerneri à me scriptam esse. Contrarium uero testantur testimonia Vuerneri. Ego non scribere sed coram uoce agere iussi. Me arrodere doctrinam uerarum Ecclesiarū. Hoc Adiaphoristæ suis corruptelis faciunt. Abolere cupere pia Scripta. Vide somniū Corydonis de libris Philonici Lutheri. Vuernerum esse meum manipularum, Magnam ei iniuriā facit. Explorasse se ait meos mores ex meis intimis. Explorent. Ego nemini exploratores suborino. Iurasse nescio quid Vuernerum. Ego eius scriptis testimonijs

19 1417
monijs sum contentus. Narrationes nescio quas Lucifuga fingit de bonis magnis & claris uiris, quos, ne redargui possit, tacet.

Clamat, me deijcere Filium Dei de cœlo. Absit. Illi eum deijciunt de cœlo, qui summum agnitumq; eius hostem Antichristum Ecclesiæ ipsius pro summo gubernatore obtrudere satagunt, quicq; eius Religionem inficiunt.

Me euomere blasphemias in Ecclesiã. Veras sententias vni tantum intelligenti proponi iussi. Adiaphoristæ uero comminiscuntur terra & in Ecclesiam euomunt.

Multi Sapientes, potentes, præstantes &c. dicunt: Causa quidem bona & pia est, sed tu eam male agendo reddis non bonam. Agant isti sapientes Critici eam melius pro suis donis, libens illis hac arena cedam.

Epicurei & Protopoliptæ dicunt, nostra scripta esse calumnias & mendacia. Quorum tamen pleriq; se nihil in eis legisse fatentur. Respondeo. Quid aliud est totus Adiaphorismus, quam purum mendacium contra ueritatem cœlestem? Istud ipsum est summum mendacium & calumnia, uocare ea calumnias & mendacia, quæ uel non legaris, uel mendacij ac calumniarum redarguere non possis. Proferant ergo aliquot crassa mendacia ac calumnias ex nostris Scriptis, & sic nos arguant. Quod si unum in meis Scriptis monstrauerint, ego contra in Adia: scriptis decem monstrabo. Si illi in meis decem, ego in illorum centum ostendam.

Prodierunt & aliæ quedam Schedæ, post Mendacium de Logo, meras nugas, mendacia & conuitia efflantes. Vnum mendacium libet tantum refutare. Dicit me, propter repulsam petitæ lectionis Crucigeri, cœpisse contra eos scribere. Respondeo. Scripsi de Adiaph. ante eius mortem. Nec unquã uel unico uerbo aut nutu Crucigeri lectionem petij. Vide meã Apologiam ad Scholam Vuiteb. Mentiantur posthac Adiaphoristæ quantum eis libet, Ego de re ipsa agam, eamq; donec Deus uolet, defendam.

F I N I S.

M

X 2201335



QK. 215 (48)

Vg
1413

REFVTATIO

VANISSIMI ADIAPHORIS

tarum Commenti de LOGO, Verbo,
per Matthiam Flacium
Illyricum.

IEREMIAE XVIII

Adeste cogitabimus contra eum cogitationes, quoniam non peribit Lex à Sacerdote, & consilium à Sapiente, & uerbum à Propheta: adeste, feriemus eum lingua, nec attendemus omnes sermones suos. Attende ad me Domine, & audi vocem aduersariorum meorum. Num redditur pro bono malum &c?

Summū Dei beneficiū, post Filij donationem, est, quod nos de peccato arguit, & ex errorū tenebris Verbi sui luce extrahit. Nec Christianus Christiano ullum aliud maius, tali admonitione, bonum præstare potest. Sed homo, partim innata malicia ac superbia, partim etiam diabolico furore inflammatus, deq; sua sapientia inflatus ac securus, manifestas Dei admonitiones & uerbum contemnit, oppressionemq; se arguentium per uim & mendacium (quale hoc præsens est) furenter machinatur. Hæc summa Adiaphoristarum erga Deum & Fratres monentes nunc GRATITVDO est: Sed tu o Domine miserere periclitantis Ecclesiæ, ueritatis, & confitentium eam contra corruptelas Amen.

IENAE M. D. LVIII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
JENA
(SALE)

